

## † R. P. Victor Waroux (1882-1955)

(Prov. Rom.)

Victor Waroux, stirpe wallonica progenitus, ex 73 annis vitae tantum 25 in patria vixit, 33 annos vero in Polonia et ultimos 15 annos in Italia. Ergo Belgium formavit eius iuventam, Polonia mediam eius vitam viri gustavit, et Italia maturis fructibus huius amabilis senis perfrui potuit.

Natus in Pipaix, dioecesis Tornacensis, 5 Iun. 1882, post studia lycealia Congregationi nomen dedit, vota professus a. 1903 et sacerdotio auctus a. 1906. Insequenti anno in Poloniam venit, ubi parvus studentatus Maksymówka, a. 1906 conditus, auxilio indigebat. Docuit igitur ibi iuxta systema illorum temporum, i.e. sine praeparatione particulari, per aliquot annos S. Scripturam. Tunc diversis domibus ascriptus est, quas singulas hic enumerare non est opus. Tempore primi belli magni etiam intra fines Provinciae Pragensis ad tempus commorabatur, spiritualem opem fugitivis Polonis ferens (1).

Ubique bonus P. Waroux magni aestimabatur, non quidem qua concionator (ipse enim de se dicere solebat, et recte quidem: « *Je n'ai pas le don des langues* », et mendosus eius sermo haud raro risum movebat), sed qua confessarius et sodalis ad omne servitium semper paratus. In Catalogo a. 1933 recensetur Cons.-Secret. Patris Provincialis Marcinek, et in Cat. 1936 Magister novitiorum, quo officio tanti momenti per quinquennium functus est.

Quam sortem Polonia inde ab initio novi belli (1.9.1939) passa sit, satis notum est omnibus. P. Waroux, utpote natione Belga, fuit expulsus et d. 23 Maii 1940 Romam venit, horroribus bellicis terrefactus. Inde transit in domum iuvenatus Scifelli, ubi mansit usque ad mortem, et Romanae Provinciae incardinari voluit, sicut antea Polonicae incardinatus fuerat.

Cum Scifellis per aliquot annos etiam novitii essent, P. Waroux Octobri mense anni 1946 eorum Magister renuntiabatur. Tirones instruebat italice et gallice et latine, sed multo melius exemplo. Sic festo Natalis Domini, in sacello loquens coram novitiis de amore Iesu Infantis, adeo ad fletum commovebatur, ut sermonem abrumpere cogeretur. Ut erat homo vere sapiens, suos vitam considerare docebat uti revera est, realitice, ut dicitur. Inspirabat magnam in Deum fiduciam, exercitandam praecipue iugi oratione, quem orationis spiritum eloquentissime denuo suo exemplo commendabat, transigens magnam diei partem in intimo cum Deo colloquio.

At non modo novitiorum, sed etiam iuvenistarum amicus erat et moderator spiritus incomparabilis atque aegerrime supplendus. Omni mane in confessionali

(1) Cf. *Litterae Annales de rebus gestis Provinciae Polonicae* (1911-1918), p. 13.

sacelli iuvenatus exspectabat quemcumque poenitentem. Solus Deus scit, quot vocationes servaverit, quot quantaque beneficia his pueris adolescentulisque ad statum sacerdotalem ac religiosum aspirantibus attulerit. Sed paratus erat ad quodcumque servitium dilectae iuventuti praestandum, v.g. pro aliquo Lectore impedito religionem docendo vel historiam vel linguam gallicam vel ipsam italicam.

Et quam maternam caritatem aegrotantibus impendebat! Si P. Waroux domi erat, certe non poterat accidere id quod iam aliis infirmis nostris accidit, scilicet ut per dies integros in lecto manere deberent et nemo unquam cogitaret de emolliendo pulvinari vel de accommodandis coperculis lecti vel de rebus similibus; haec enim ineffabili dilectione a bono Patre in iteratis suis visitationibus cuilibet aegroto praestabantur.

Similiter, si quis Pater, e labore apostolico h. 14 domum reversus, refectorium et culinam inveniebat clausa, videres Patrem W. Sorores facientem certiores nec prius refectorio abeuntem quam vidisset operarium evangelicum iisdem Providentiae donis provisum, quibus antea communitas fruita erat.

Etiam illa Dominica 6 Martii h. a. probabiliter P. Waroux iam ante ceteros lecto surrexerat, ut pro more expergefaceret Patres ad varias collegii cappellaniae exituros. Se vestiens coepit male se habere, quare denuo super lectum se posuit. Ibi trombosis cerebri vitae sanctae subitaneum finem attulit, et P. Director Philomenus Tosti invenit corpus inanime, cum cellam intravit, ut bonum senem ad confessionale sacelli conduceret.

Tam inopinatae mortis nuntius non solum omnes collegii incolas immenso moerore affecit, sed etiam exteros; veluti illos ducentos et amplius parvulos, quos quidam bonus sacerdos Foiani prope Verulas collegit, et quorum confessarius ordinarius fuerat P. Waroux, apud eos quadam sanctitatis aureola insignitus. In grati animi testem emortuo obtulere arcam sepulcralem affabre confectam.

Funebre elogium pronuntiavit Pl. R. P. Provincialis Aloisius Vori. Aderant Episcopus Verulanus Exc.mus Aemilius Baroncelli et defuncti in officio Magistri collega hodieque Prior Casamarensis et Consultor noster Generalis Polonus Pl. R. P. Carolus Szrant et duo Patres Belgae aliique permulti.

Bonus P. Waroux sit nunc apud Deum intercessor, ut omnes populi in pace Christi sint uniti, et ut omnes S. Alfonsi filii spiritum genuinum suae vocationis servant. R.I.P.

C. H.